



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Ivlii Capitolini Gordiani Tres. Ad Constantinvn Avgvstvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

I V L I I C A P I T O L I N I  
**GORDIANI TRES**  
 A D C O N S T A N T I N V M  
 A V G V S T V M.



VERAT QUIDEM consilium uenerabilis Augu-  
 ste, ut singulos quosq; imperatores exemplo multo-  
 rum, libris singulis ad tuam demētiam destinarem. Nam id multos fecisse uel ipse uideram, uel lectione  
 cōceperam. sed improbū uisum est, uel pietatē tuam  
 multitudine distinare librorū, uel meū laborē pluri-  
 mis uoluminibus occupare. Quare tres Gordianos  
 hoc libro contexui, consulens & meo labori, & lectio-  
 ni tuæ, ne cogereris plurimos codices uoluendo unā  
 tamen penē historiā lectitare. Sed ne ego, qui longitudinem librorū fugi, multi-  
 tudinemq; uerborū, in eam incurrisse uidear, quā me urbane declinare confin-  
 go, iam rem aggrediar. Gordiani non, ut quidam imperiti scriptores loquūtur,  
 duo, sed tres fuerunt. Idq; docente Arriano scriptore Græcæ historiæ, docente  
 item Dexippo græco autore, potuerunt addiscere. Qui etiā si breuiter, ad fidem  
 tamen omnia persecuti sunt. Horum Gordianus senior, id est, primus natus ex  
 patre Metio Marullo, matre Vibia Gordiana. Originem paternā ex i Graccho  
 rum genere habuit, maternā ex Traiani imperatoris, patre, auo, proauo  
 Socero, profocero, & item alio p̄socero, & duobus t̄obfoceris  
 ditissimus, ac potētissimus Romæ Pompeianā domū possidens, in prouincijs  
 tantū terrarū habens, quantū nemo priuatus. Ipse ex cōsulatu, quē egerat, cum  
 Alexandro ad proconsulatū Africæ missus est ex senatusconsulto. Sed priusq;  
 de imperio eius loquar, dicam pauca de moribus. Adolescens cum esset Gordia-  
 nus, de quo sermo est, poëmata scripsit, quæ omnia extāt, & cuncta illa, quæ Ci-  
 cero ex Demetrio, & Aratum, & Alcionas, & Vxorium, & Nilum: quæ quidē  
 ad hoc scripsit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua uiderentur. scripsit præte-  
 rea quemadmodū Vergilius Aeneidos, & Staius Achilleidos, & multi alij Ili-  
 dos: ita etiam ille Antoniniados, hoc est, Antoninū Pium, & Antoninum Mar-  
 cum uersibus disertissimis libris triginta uitam illorum, & bella & publice, priuā  
 tinq; gesta perscribens. Et hæc quidem puerulus. Postea uero ubi adoleuit, in  
 Athenæo cōtrouersijs declamauit audientibus etiā imperatoribus suis. Quæ-  
 sturā magnificentissime gessit, ædilitatis suæ tempore duodecim populi Roma-  
 ni munera, id est, per singulos menses singula de suo exhibuit ita, ut gladiatorū  
 nōnunq; quinquagena paria exhiberet, nunq; minus cetenis quinquagenis. Fe-  
 ras Libycas una die centū exhibuit, urfos una die mille. Extat sylua eius memo-  
 rabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeij, quæ ipsius, & patris eius,  
 & proauū fuit, quam Philippī temporibus uester fiscus inuasit.

Destinare  
 p̄mittere.

af. i Gracoge

Pro obfocer,  
 abfocer let-  
 gendum ar-  
 bitror.

af. i Balchio  
 nas.

F 2 etiam

Ars†Cybira  
tici.

etiam nunc cōtinentur cerui palmati ducenti mixtis Britannis. Equi feri xxx. oues feræ c. Alces x. Tauri†Cypriaci c. Struthiones Mauri miniati ccc. Onagri xxx. Apri cl. Ibices cc. Damæ cc. Hæc autē omnia populo rapienda cōcessit die muneris, quod sextum ædebat. Præturā nobilem gessit, post iurisdictionem consulatum primū inijt cum Antonino Caracallo, secundū cum Alexandro. Filios duos habuit, unū consularē, qui cum ipso Augustus appellatus est, qui iuxta Carthaginē in Africa bello assumptus est: & filiam Metiā Faustianam, quæ nupta est Iunio Balbo consulari uiro. In consularibus clarior fuit sui temporis coss. ita, ut ei Antoninus inuideret modo prætextas eius, modo latum clauū, modo Circenses ultra imperatoriū mirans modum. Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorū priuatus suam propriā habuit, cum ante imperatores etiā de Capitolio acciperent, uel de palatio. Equos Siculos c. Cappadoces c. permittentibus imperatoribus factionibus diuisit. Et per hæc populo satis charus, qui semper talibus cōmouetur. Cordus dicit in omnibus ciuitatibus Campaniæ, Hetruriæ, Umbriæ, Flaminia, Piceni, de proprio illum per quadriduū ludos scenicos, & iuuenalia ædidisse. Scripsit & laudes soluta oratione omnium Antoninorū, qui ante eum fuerunt, tantū autem Antoninos dilexit, ut sibi quoq; ut multi dicunt, Antonini: ut pleriq; autē asserunt, Antonij nomē ascripserit. Iam illud satis constat, quod filium Gordianū nomine Antonini, & signo illustrauit: cum apud præfectum ararij more Romano professus filium publicis actis eius nomē insereret. Post consulatū proconsul Africae factus est: & adnitētibus cunctis, qui Alexandri imperiū etiam in Africa clarum per proconsulis dignitatē haberi, atq; esse uoluerunt. Extat epistola ipsius Alexandri, qua senatui gratias agit, quod Gordianū ad Africam proconsulē destinauerit, cuius hoc exemplum est. Neq; gratius mihi quicq; p. c. neq; dulcius potuistis efficere, q̄ ut Antoninū Gordianū proconsulem ad Africam mitteretis, uirum nobilem, & magnanimū, disertum, iustum, continentē, bonū, & reliqua. Ex quo apparet quantus uir eo tempore Gordianus fuerit. Amatus est ab Afris ita, ut nemo antea proconsulū: ita, ut eum alij Scipionē, Catonem alij, multi Mutiū, ac Rutilium, aut Lælium dicerent. Extat eorū acclamatio, quæ à Iunio in literas relata est. Nam cum quadā die factum imperatoriū legeretur à proconsulibus Scipionibus, atq; cœpisset, acclamatum est: Nouo Scipioni, uero Scipioni Gordiano proconsuli. Hæc & alia frequenter audiuit. Et erat quidē longitudine Romana, canicie decora, & pompali uultu, ruber magis q̄ candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte uerēdus. Corporis qualitate subcrassulus, Moribus ita moderatus, ut nihil possis dicere, quod ille aut cupide, aut immodeste, aut nimie fecerit. Affectus suos unice dilexit, filiū & nepotem ultra morem, filiam & neptem religiose. socero suo Annio Seuero tantū detulit, ut in familia eius quasi filium migrasse se crederet, ut nūquā cum eo lauerit, nunquā illo præsentē federit. Ante præturam coss. cum esset, aut in domo eius semper mansit, aut si in Pompeiana domo, ad illum uel mane, uel serò processit. Vini parcus, cibi parcissimus, uestitu nitidus, lauandī cupidus: ita, ut & IIII & V in die lauaret æstate, in hyeme

hyeme secundo. Somni plurimi: ita ut in tridinijs si forte apud amicos ederet, etiã sine pudore dormiret: quod uidebatur facere per naturã, non per ebrietatem, atq; luxuriã. Sed boni mores nihil ei profuerunt: hic enim uita uenerabilis, cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Vergilio, ceterisq; ueteribus agens, alium q̄ merebatur, exitum passus est. Nam cū temporibus Maximini hominis saui, atq; truculenti proconsul Africã regeret, eiq; legatus filius esset à senatu datus: cumq; quidã Rationalis acrius contra plurimos Afrorum sauiret q̄ Maximinus ipse pateretur, proscribēs plurimos, interficiens multos, & sibi ultra procurationē omnia uindicans, retunsus deinde à proconsule, atq; legato, cum nobilibus & consularibus uiris ipse minaretur: cumq; Afri tam insolentes iniurias ferre nequirent, primū ipsum Rationalem adiunctis sibi plerisq; militibus occiderunt. Occiso deinde eo, cum iam orbis terrarū odio contra Maximinum arderet, coeperunt cogitare quemadmodū inter Maximinos, & rusticos uel Afros ortæ inimicitia placaretur. Tunc quidam Mauritius nomine potens apud Afros decurio, iuxta Tyndrum nobilissima post hæc oratione apud plebem in agro suo uelut concionabundus est locutus. Gratias habeo dijs immortalibus ciues, quod occasionem dederunt, & quidem necessariã prouidendi nobis contra hominem furiosissimū Maximinū. Nos enim, qui procuratorem eius moribus, & uitæ consimilem occidimus, nisi factò imperatore salui esse nõ possumus: quocirca, si placet, quoniã non longe est nobilissimus uir proconsul, cum filio cõsulari legato, quorū utriq; mortem pestis illa est minata, sublata de uexillis purpura, imperatores eos dicemus, adhibitisq; insignibus Romano iure firmabimus. Tunc acclamatum est: Aequū est, iustum est. Gordiane Auguste dij te seruent feliciter. Imperator es, cum filio imperes. His actis, prope re uentū est ad oppidum Tyndrum, inuentusq; senex uenerabilis post iurisdictionē iacens in lecto, qui circūfusus purpura humi se abiecit, ac retractans eleuatus est. Et cum aliud facere nihil posset, euitandi periculi gratia, quod à Maximini fautoribus haud dubie imminerebat, imperatorē se appellari passus est. Erat autem iam octogenarius, & plurimis prouincijs (ut diximus) ante præfuerat: populo Ro. ita commendatus suis actibus erat, ut toto dignus uideretur imperio. Alij quidem occiso iuvene Gordiano filio suo, quod Gordianus ante nescierat: sed ubi rem comperit, iam morti uicinus, & filio magis timens, maluit honestas causas habere moriendi, q̄ dedi uinculis, & carceri Maximini. Appellato igit Gordiano imperatore iuuenes, qui autores huius facinoris erāt, statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt. Ipsum etiã Gordianū Africanū appellauerunt. Addunt quidam Africani cognomentū Gordiano iccirco inditum, non quod in Africa imperare cœpisset, sed quod de Scipionū familia originem traheret. In plurimis autem libris inuenio & hunc Gordianū, & filium eius pariter imperatores appellatos, & Antoninos cognominatos: Alij uero Antonios. Post hoc Carthaginē uentū cum pompa regali, & fascibus laureatis: filiusq; legatus patris exemplo Scipionū, ut Dexippus Græcæ hystoriæ autor est, gladij potestate succinctus est. Missa deinceps legatio Romam

F 3 est, cum

est, cum literis Gordianorū, hæc quæ gesta fuerant in Africa indicans: quæ per Valerianū principē senatus, qui postea imperauit, gratanter accepta est. Missæ sunt & ad amicos nobiles literæ, ut homines potentes & rē probarent, & amiciores fierēt ex amicis. Sed tanta gratulatiōe factos cōtra Maximinū imperatores senatus accepit, ut nō solū gesta hæc pbarēt, sed etiā xx uiros eligerēt: inter quos erat Maximus siue Pupienus, & Clodius Balbinus: qui ambo imperatores sunt creati, postea quæ Gordiani duo in Africa interempti sunt. Illos sanè xx senatus ad hoc creauerat, ut diuideret his Italicas regiones contra Maximinū pro Gordianis tuēdas. Tunc legiones à Maximino Romā uenerūt, abolitionē prætoriorū spondētes. Sed uicit Gordianorū legatio, quæ bona omnia pollicebat, ita ut eidē crederetur, & ingens militibus stipendiū, populo agri, atque cōgiaria promissa. Vsq̄ adeo autē magis Gordianis quæ Maximini est creditū, ut Vitalianus quidā, qui prætorianis militibus præerat, per audacissimos quæstore & milites iussu senatus occideret: quod se antea crudeliter egerat, & tūc eius magis immanitas timebatur amica, & familiaris moribus Maximini, de cuius morte hæc fabella fertur. Fictæ sunt literæ Maximini, signatæ quasi eiusdē annulo, & missi cū quæstore milites, qui eas ferret, addentes quædā præter literas secretò esse dicenda. Longā igitur porticū petierunt: & cū ille ea, quæ sibi erāt secretò dicēda, perquireret, hortatibus ut prius signū inspiceret epistolæ: dum consyderat, interemptus est. Persuasum deinde est militibus iussu Maximini Vitalianū interemptū, pactisque rebus in castris Gordianorū & literæ, & uultus sunt propositi. Interest ut senatuscōsultū, quo Gordiani imperatores appellati sunt, & Maximinus hostis, literis ppagentur. Nō legitimo, sed indicto senatus die cōs. iam domi cōuentus, cū prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis, uenit in curiā. Præfectus urbis, cui nescio quid redoluerat, & q̄ publicas literas nō acceperat, à cōuentu se abstinuit. Sed pfuit: nā cōs. ante solitas acclamationes prius quæ aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ait: P. C. Gordiani duo, pater & filius, ambo ex cōs. unus uester proconsul, alter uester legatus, magno Afrorum consilio imperatores sunt appellati. Gratias igitur agamus Tydritanæ iuuetuti, gratias Carthaginensi populo semper deuoto, qui ab immani nos bellua, ab illa fera uindicauerunt. Quid timide auditis? quid circūspicitis? quid cunctamini? hoc est quod semper optastis: hostis est Maximinus, dii faciant ut esse iam desinat. Et Gordiani senis felicitatē, atque prudentiā, iuuenis uirtutē, atque constantiā læti experiamur. Post hæc literas legit Gordianorū, ad senatū, & ad se missas. Tunc clauit senatus. Dii uobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinū hostē omnes iudicamus. Maximinū cum filio dijs inferis deuouemus. Gordianos Augustos appellamus. Gordianos principes agnoscimus. Imperatores de senatu dii conseruent: imperatores obiles uictores uideamus: imperatores nostros Roma uideat: hostes publicos qui occiderit, præmiū merebitur. Dicit Iunius Cordus istud senatuscōsultū fuisse tacitū: quod quale sit, aut quare sic appellatū, breui exponā. Omnino exemplū senatuscōsulti taciti nō aliud est hodie, quæ quod uestra clementia conuocatis ad interiora maioribus ea disponit,

Deuotus, in bonā partē.

Senatuscōsultū tacitū.

disponit, quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiã soletis, ne quis ante rem cõpletam quicq̃ uel audiat, uel intelligat. Hunc autẽ apud ueteres necessitates publicæ reppererunt: ut si forte aliqua uis ab hostibus immineret, quæ uel cogeret humilia captare consilia, uel aliqua cõstituere, quæ nõ prius oporteret dici, q̃ effici, uel si nollẽt ad amicos aliqua permanere, senatuscõsultũ tacitum fieret: ita ut nõ scribæ, non serui publici, nõ censuales illis actibus interessent, senatores exciperẽt: senatores omniũ officia censualiũ, scribarumq̃ complerent, ne quid forte proderet. Factum est ergo senatuscõsultũ tacitũ, ne res ad Maximinũ perueniret. Sed statim ille, ut se habent hominũ mentes, eorum duntaxat, qui erubescunt p se ea nõ agnosci quæ sciunt, & qui humiles se putat, si cõmissa nõ prodãt, omnia cõperit Maximinus, ita ut exemplũ senatuscõsultũ taciti acciperet, qd' nunq̃ ante fuerat factitatũ. Extat deniq̃ ei epistola ad præfectum urbis talis: Senatuscõsultũ tacitũ nostrorũ illorũ principum legi: quod præfectus urbis factũ esse fortasse nõ nosti: nam nec interfuisti, cuius exemplũ ad te misi, ut scires quomodo Romanã Remp. regeres. Enarrari autẽ nõ potest, quæ cõmotio fuerit Maximini, cum audiuit contra se Africã descuissẽ. Nam senatus autoritate percepta, incurrere in parietes, uestem scindere, gladiũ arripere, quasi omnes posset occidere, prorsus furere uidebatur. Præfectus urbis acceptis literis acrioribus, populũ & milites allocutus est, dicẽs Maximinũ iam occisum. Ex quo maius fuit gaudium: statimq̃ deiectæ sunt statuæ, atq; imagines eius, qui hostis fuerat iudicatus. Vfus est sanẽ senatus pendente bello, potestate qua debuit. Nam delatores, calũniatores, procuratores, & omnẽ illã facem Maximinianæ tyrannidis occidi senatus iussit. Atq; parũ fuit, qd' senatus iudicauerat: illud populi iudiciũ fuit, quod occisi tracti sunt, & in cloacam missi. Tunc & præfectus urbi Sabinus cõsularis uir fuste percussus, occisus, & in publico derelictus est. Hæc ubi cõperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere cõcionis, Sacra cõmilitones, imo etiã mei cõsecranei, & quorũ mecũ pleriq; uere militatis: dũ nos in Germaniã Romanã defendimus maiestãtẽ, dum nos Illyricũ à Barbaris uindicamus, Afri fidẽ Punicã præstiterunt. Nã duos nobis Gordianos, quorum alter senio ita affectus est, ut nõ posset assurgere: alter ita luxuriã perditus, ut debilitãtẽ habeat p senectute, imperatores fecerunt. Et nec hoc parũ est, sed factum Afrorũ nobilis ille senatus agnouit: & pro quorũ liberis arma portamus, hi cõtra nos xx uiros statuerũt, & omnes uelut cõtra hostes sententias protulerũt. Quinimo agite ut uiros decet, pperandũ est ad urbẽ. Nã & xx uiri cõsulares cõtra nos lecti sunt, quibus resistendũ est nobis fortiter agentibus, uobis feliciter dimicãtibus. Lentas militũ mentes, & suorũ minus alacres animos hac cõcione Maximinus sæpe cognouit. Deniq; statim ad filiũ scripsit, qui longe post sequebatur, ut acceleraret: ne quid cõtra eũ se absente milites cogitarẽt. Literarũ exemplũ tale Iunius Cordus dicit. Referret ad te stipator meus Tycãnius, quæ gesta cognouit uel in Africa, uel Romæ: referret quæ sint militũ mentes: quæso quantũ potes properes, ne quid, ut solet, militaris turba plus faciat. Quid uerear ex eo audies, quem ad te misi. Dum hæc aguntur in Africa

cōtra duos Gordianos, Capelianus quidam Gordiano & in priuata uita semp aduersus, & ab ipso imperatore iam cū Mauros Maximini iussu regeret: ueteranus dimissus cū lectis Mauris, & tumultuaria manu accepto Gordiano successore Carthaginē petit, atq; omēs fide Punica Carthaginensiuū populos indinauit. Gordianus tamē fortunam belli experiri cupiens, filium suū iam natu grandiozem XL & VI annos agentem, quem tunc legati loco, ut diximus, habuerat, cōtra Capelianum, & Maximinianos misit uirum, de cuius moribus suo loco dicemus. Sed cum in re militari & Capelianus esset audacior, & Gordianus iunior non tā expertus, quippe qui nobilitatis delicijs tardabatur, pugna cōmissa uincitur, & in eodem bello interficitur. Fertur autem tanta multitudo Gordiani partiū in bello cecidisse, ut cum diu quāsitum sit corpus Gordiani iunioris, nō potuerit inueniri. Fuit præterea ingens, quæ raro in Africa est, tempesta: quæ Gordiani exercitū ante bellum ita dissipauit, ut minus idonei milites prælio fierent, atq; ita facilis esset Capelianū uictoria. Hæc ubi cōperit senior Gordianus, modicas uires suas, Maximini magnas, instantem Capelianum, raramq; Punicam fidem consyderans, & acri dolore percitus, ut uincula etiam hostium euitaret, laqueo uitam finiuit, & uitam cum imperio reliquit. Hic exitus duorū Gordianorum fuit, quos ambo senatus Augustos appellauit, & postea inter diuos retulit. Imperauerūt anno uno, mensibus sex. Gordianus iunior hic Gordiani senis procōsulis Africæ filius, qui cū patre, & ab Afris, & à senatu Augustus appellatus est, literis & moribus clarus fuit præter nobilitatem: quā ut nōnulli, ab Antoninis, ut plurimi, ab Antonijs duxit. Siquidem argumento ad probandā generis qualitatem alijs hoc esse dixerūt, quod Africanus Gordianus senior appellatus est cognomine Scipionū, quod domū Pompeianam in urbe habuit, quod Antoninorū cognomine semper est nuncupatus, quod Antoniū filium suū ipse significari uoluit in senatu, quæ singula uident familias designare. Sed ego Iuniū Cordū sequor, qui dicit ex omnibus his familijs Gordianorū coaluisse nobilitatē. Idem igit natus patri primus ex Fabia Orestilla Antonij pronepte, unde Cæsarū quoq; familiā cōtingere uidebatur. Et primis diebus sui natalis Antoninus est appellatus. Mox in senatu Antonini nomen est æditū: uulgo deinde Gordianus haberi cœptus. In studijs grauissimæ opinionis fuit, forma conspicuus, memoriæ singularis, bonitatis insignis: adeo, ut semper in scholis si quis puerorū uerberaretur, ille lachrymas nō teneret. Sereno Sāmonico, qui patri eius amicissimus, sibi autē præceptor fuit, nimis acceptus, & charus usq; adeo, ut omnes libros Sereni Sāmonici patris sui, qui censebantur ad LX & duo milia, Gordiano minori moriens ille relinqueret, quod eū ad cælum tulit. Siquidē tantæ Bibliothecæ copia, & splendore donatus, in famam hominū literarū decore peruenit. Quæsturā Heliogabalo autore promeruit, iccirco quod luxurioso imperatori lasciuia iuuenis, nō tamen luxuriosa, neq; infamis prædicata est. Præturā Alexādri autore urbanā tenuit, in qua tātæ iurisdictionis gratia fuit, ut statim consulatū, quē pater serō acceperat, mereretur. Maximini, seu eiusdem Alexandri temporibus ad proconsulatū patris missus legatus est, obsecutus: atq; illic

atq; illic ea, quæ superius dicta sunt, cōtigerunt. Fuit uini cupidior, semp tamen undecūq; conditi, nūc rosa, nunc mastice, nūc absinthio, cæterisq; rebus, quibus gula maxime delectaretur. Cibi parcus: ita, ut intra punctū temporis uel prandium, si pranderet, uel cenā finiret. Mulierū cupidissimus: habuisse enim decretas sibi concubinas xx & ii fertur. Ex quibus omnibus ternos & quaternos filios reliquit. Appellatusq; est sui temporis Priamus, quē uulgo iocantes, quod esset naturæ propensioris, Priapum, non Priamū sæpe uocitarent. Vixit in delitijs in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus. Nec pater aspernatus est, sæpissime dicens illum quādoq; in summa claritate cito esse moriturū. Nec tamē in uita sua fortunæ bonis unq; degenerauit, semperq; inter illustrissimos fuit, ciuibus nec Reip. ad consultationē defuit. Deniq; etiā senatus libentissime illum Augustū appellauit, atq; in eo spem publicā posuit. Vestitu cultissimus, seruis & omnibus suis charus. Cordus dicit uxore eum nunq; habere uoluisse. Contra Dexippus putat eius filium esse Gordianū tertium, qui post hoc cum Balbino, & Pupieno, siue Maximo puerulus adeptus est imperiū. Cum senior Gordianus mathematicū aliquando consuleret de genitura huius: respondisse ille dicitur, hunc & filiū imperatoris, & ipsum imperatorē futurū. Et cum senior Gordianus rideret, ostendisse cōstellationē mathematicā ferūt, & de libris ueteribus dictitasse, ita ut p̄baret se uera dixisse. Qui quidē & seni, & iuueni, & diē, & genus mortis, & loca, quibus essent perituri, obstinata cōstantiā ueritate prædixit. Quæ omnia postea Gordianus senior in Africa iā impator, & quādo nihil timebat, narrasse perhibet: de morte quinetiā sua, filijq; & de genere mortis dixisse. Catabat præterea uersus senex, cū Gordianū filiū uidisset, hos sæpissime.

Nec ciuibus  
opinor le-  
gendum.

- Ostendent terris hunc tantum fata, neq; ultra
- Esse sinent, nimium uobis Romana propago
- Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

Extant dicta & soluta oratione, & uersibus Gordiani iunioris, quæ hodie ab eius affinibus frequentantur. Non magna, nō minima, sed mediā, & quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed luxuriantis, & suum discernentis ingeniū. Pomorum & olerum auidissimus fuit, in reliquo ciborū genere parcissimus: adeo, ut semper pomorum aliquid recentiū deuoraret, frigidorum percupidus. Nec facile per astatem nisi frigida, & q̄ plurimum bibit. Et erat corporis uasti, quare magis ad frigida urgebatur. Hæc de Gordiano iuniore digna memoratu cōperimus: nō enim nos talia dicere uoluimus, quæ Iunius Cordus ridicule, ac stulte cōposuit de uolupratibus domesticis, cæterisq; infimis rebus: quæ qui uelit scire, ipsum legat Cordū: qui dicit, & quos seruos habuerit unusquisq; principum, & quos amicos, & quot penulas, quotue chlamydes, quorū etiam scientiā nulli prodest. Siquidem ea debent in historia poni ab historiographis, quæ aut fugienda sint, aut sequēda. Sanè quidem quod apud Vulcatium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, uidetur mirabile, inferendū censui. Dicit em̄ Gordianū seniore Augusti uultum sic representasse, ut & uocem, & morem, & staturam eiusdē ostentare uideretur. Filium uero Pompeio simillimū uisum,

quāuis



quàmuis Pompeius obeſi corporis fuiſſe denegatur. Nepotem autē eius etiam nūc uidemus imagines Scipionis Aſiatici retuliſſe: quod pro ſua adminiſtratione tacendū eſſe nō credidi. Gordianus tertius. Poſt mortem duorū Gordianorum ſenatus trepidus, & Maximinum uehementius timens, ex uiginti uiris, quos ad Remp. tuendam delegerat, Pupienū, ſiue Maximū, & Clodium Balbinum Auguſtos appellauit ambos ex COSS. Tunc populus, & milites Gordianum paruulū annos agentē, ut pleriq; aſſerunt, undecim: ut nonnulli, tredecim: ut Iunius Cordus dicit, ſexdecim (nam uigeſimo & ſecūdo anno eū periffe aſſerit) petiuerunt, ut Cæſar appellaretur: raptusq; ad ſenatum, atq; inde in concione poſitus, indumento imperatorio tectus, Cæſar eſt appellatus. Hic natus eſt, ut plures aſſerunt, ex filia Gordiani, ut unus, aut duo (nā amplius inuenire non potui) ex filio, qui in Africa periit. Gordianus ſcilicet Cæſar factus, apud matrē educatus eſt. Et cum extinctis Maximinis, Maximus etiā & Balbinus militari ſeditione interempti eſſent, qui biennio imperauerant: Gordianus adoleſcens, qui Cæſar eatenus fuerat, à militibus, & populo, & ſenatu, & omnibus gentibus ingēti amore, ingenti ſtudio, & gratia Auguſtus eſt appellatus. Amabatur autē merito aui, & auunculi, ſiue patris: qui ambo pro ſenatu, & pro populo Ro. contra Maximinū arma ſumpſerunt, & militari uel morte, uel neceſſitate perierunt. Poſt hæc ueterani ad curiā uenerunt, ut diſcerent, quid actum eſſet. Ex quibus duo ingreſſi Capitolium, cum illic ſenatus ageretur, ante ipſam aram à Galliano ex COSS. & Mæcenate ex ducibus interempti ſunt: atq; bellum inteſtinū ortum eſt, cum eſſent armati etiam ſenatores, ignorantibus ueteranis quod Gordianus adoleſcens ſolus teneret imperiū. Dexippus quidem aſſeuerat ex filio Gordiani tertium Gordianū eſſe natum: & poſteaq; conſtitit apud ueteranos quoq; ſolum Gordianū imperare, inter populum, & milites, ac ueteranos pax roborata eſt: & hic finis belli inteſtini fuit, cū eſſet delatus Gordiano puero conſulatus. Sed indiciū non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipſis Solis facta eſt, ut nox crederetur, neq; ſine luminibus accenſis quicq; agi poſſet. Poſt hæc tamen uoluptatibus, & delitijs Po. Ro. uacauit, ut ea quæ fuerāt aſpere geſta, mitigaret. Venuſto, & Sabino COSS. inſita eſt factio in Africa contra Gordianū tertium duce Sabiniano: quæ Gordianus per præſidē Mauritanie obſeſum à cōiuratis ita oppreſſit, ut ad eū tradendū Carthaginē omnes uenirent, & crimina cōſitentes, & ueniam ſcleribus poſtulantes. Finita igitur ſolicitudine in Africa Gordiano iam iterū, & Papiniano COSS. bellum Perſicum natum eſt: quare adoleſcens Gordianus priuſq; ad bellum proficiſceretur, duxit uxorem filiā Miſitheii doctiſſimi uiri, quæ cauſa eloquētiæ dignū parentela ſua putauit, & præfectum ſtatim fecit, poſt quod nō puerile iam & cōtemptibile uidebatur imperiū: ſiquidem & optimi ſoceri conſilijs adiuuaretur, & ipſe pro pietate aliquatūlū ſaperet, nec per ſpadones, ac miniſtros aulicos matris, uel ignoratiæ cōniuentia uenderet. Extat deniq; & ſoceri eius ad eū epiſtola, & ipſius Gordiani ad ſocerū: qua intelligitur eius ſæculū emendatius, ac diligētius ſocero adiuuante perfectū: quarū exemplū hoc eſt. Domino filio, & Auguſto Miſitheus ſocer, & præfectus.

Parentela.

„ præfectus. Euasisse nos grauē temporū maculā, qua per spadones, & per illos,  
 „ q̄ amici tibi uidebātur (erāt aut̄ uehemētes inimici) omnia uendebātur, uolupta  
 „ ti nobis est, & eo magis, quod tibi gratior emendatio est: ut si qua uitia fuerunt  
 „ tua, non fuisse satis constet mi fili uenerabilis. neq̄ enim quisq̄ ferre potuit da-  
 „ tas eunuchis suffragantibus militum præposituras, negatū laboribus præmiū,  
 „ aut interemptos, aut liberatos pro libidine, atq̄ mercede, quos non decebat: ua-  
 „ cuatum ærariū per eos, qui quotidie insidiosissime frequentabant initas factio-  
 „ nes, ut tu decipereris, cū inter se de bonis pessimi quicq̄ haberent cōsilia tibi met  
 „ suggerenda: bonos pellerent, detestandos insinuarēt, omnes postremo tuas fa-  
 „ bulas uenderent. Dijs igitur gratias, quod uolente te ipso emendata Resp. est.  
 „ Delectat sanē boni esse principis socerum, & eius, qui omnia requirat, & omnia  
 „ uelit scire: & qui pepulerit homines, per quos antea uelut in auctione positus  
 „ nundinatus est. Item Gordiani ad ipsum. Imperator Gordianus Augustus  
 „ Misitheo patri, & præfecto. Nisi dii omnipotentes Romanū tuerentur impe-  
 „ rium, etiā nunc per emptos spadones uelut in hasta positi uenderemur. Deniq̄  
 „ nūc demum intelligo neq̄ <sup>†</sup> Felicem prætorianis cohortibus præponi debuisse, a. f. feliciores  
 „ neq̄ Serapioni quartam legionem credendam fuisse. Et, ne omnia dinumerē,  
 „ multa non esse facienda, quæ feci: sed dijs gratias, quod te insinuante, qui nihil  
 „ uendis, didici ea, quæ indusus scire non poterā. Quid enim facerem? quod nos  
 „ Maurus uenderet, & consilio cum Gaudiano, & Reuerendo, & Montano habi-  
 „ to uel laudaret aliquos, uel uituperaret? Et illorum cōsensu quasi testium, quod  
 „ dixerat approbarem mi pater? Verum audias uelim, miser est imperator, apud  
 „ quē uera reticentur: qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est, ut au-  
 „ diat, & uel audita, uel à plurimis roborata confirmet. His epistolis intellectum  
 „ est adolescentē soceri consilijs emendatū, atq̄ correctū. Et Misitheus quidē epi-  
 „ stolam Græcā quidā fuisse dicunt, sed in hanc sententiā. Tantū autē ualuit eius  
 „ grauitas, & sanctimonia, ut ex obscurissimo præter nobilitatē gestis etiā Gor-  
 „ dianū darū principē fecerit. Fuit terræmotus eousq̄ grauis imperante Gordia-  
 „ no, ut ciuitates etiā terræ hiatu cū populis deperirent: ob quæ sacrificia per totā  
 „ urbē, totūmq̄ orbē terrarū ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidē dicit, in spe-  
 „ ctis libris Sibyllinis, celebratisq̄ omnibus, quæ illic iussa uidebātur, mundanū  
 „ malum esse sedatū, sedato terræmotu. Prætextato & Attico COSS. Gordianus  
 „ aperto Iano gemino, quod signū erat indicti belli, pfectus est contra Persas cū  
 „ exercitu ingenti, & tanto auro, ut uel auxilijs, uel militibus facile Persas uincere  
 „ posset. Fecit iter in Mœsiā: atq̄ in ipso p̄cinctu quicq̄d hostiū in Thracijs fuit,  
 „ deleuit, fugauit, expulit, atq̄ submouit. Inde per Syriā in Antiochiā uenit, quæ  
 „ à Persis iā tenebatur. Illic frequētibus prælijs pugnauit, & uicit, Sapore Persarū  
 „ rege submoto. Et post Artaxerxem Antiochiā recepit, Carras, & Nisibin, quæ  
 „ omnia sub Persarū imperio erāt. Rex sanē Persarū tantū Gordianū principē ti-  
 „ muit, ut cū instructus esset & suis copijs, & nostris, tamē ciuitatib⁹ ipse præsidia  
 „ spōte deduceret, easq̄ integras suis ciuitatibus redderet: ita, ut nihil qd' ad eorū  
 „ fortunas p̄tineret, attaminaret. Sed hæc omnia per Misitheū socerū Gordiani,  
 „ eundemq̄

eundeniq; prefectum gesta sunt. Effectum deniq; est, ut Persæ, qui iam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumq; Orientem Romana Resp. detineret. Extat oratio Gordiani ad senatū, qua de rebus gestis scribens, Misitheo prefecto suo, & socero ingentes gratias agit: cuius partem indidi, ut ex eo uera cognosceres. Post hæc Patres conscripti: quæ, dum iter agimus, gesta sunt, quæ ubiq; singulis digna sunt ætītata: etiam Persas, ut breui multa cōnectam, ab Antiochenis crucibus, quas iam nexas Persico ferro gerebāt, & reges Persarum, & leges amouimus. Carras deinde, cæterasq; urbes imperio Romano reddidimus. Nisibin usq; peruenimus: & si dii fauerint, Ctesiphonta usq; ueniamus. Valet tantum Misitheus prefectus parens noster, cuius ductu, & dispositione & hæc transigimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos dijs commendare, Misitheo gratias agere. Flis in senatu lectis, quadrigæ elephātorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas uicisset, ut triumpho Persico triumpharet: Misitheo autē quadrigæ equorum, & triumphalis currus, & titulus huiusmodi: Misitheo eminenti uiro, parenti principum, prætorij prefecto totius urbis, & tutori Reip. senatus populuscq; Romanus uicē reddit. Sed ista felicitas longior esse non potuit. Nam Misitheus, quantum pleriq; dicunt, artibus Philippi, qui post eum prefectus prætorij est factus, ut aliq; morbo extinctus est hærede Romana Rep. ut quicqd eius fuerat, uectigalibus urbis accederet. Cuius uiri tanta in Rep. dispositio fuit, ut nulla esset unq; ciuitas, in qua militaris portio, & quæ nō posset exercitum Po. Ro. ac principem ferre: quæ totius anni in aceto, frumēto, & larido, atq; hordeo & paleis condita non haberet: minores uero urbes aliæ xxx dierum, aliæ xl. nōnullæ duorum mensium, quæ minimum, xv dierum. Idem cum esset præfectus, arma militum semper inspexit. Nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere. Castra omnia fossato circuibat, noctibus etiam plerunq; uigilias frequentabat. Amabaturq; ab omnibus, quod sic & Remp. amaret, & principem. Tribuni eum, & duces usque adeo timuerunt, & amauerunt, ut necq; uellent peccare, neq; ulla ex parte peccarent. Philippus cum propter pleracq; uehementer timuisse fertur, atq; ob hoc per medicos insidias eius uitæ parasse, & quidem hoc genere, cum effusione alui Misitheus laboraret, atq; à medicis sistendi uentris gratia poculum iuberetur accipere, mutatis quæ fuerant, id fertur datum, quo magis solueretur, atq; ita exanimatus est. Quo mortuo, Apriano, & Pappo COSS. in eius locum prefectus prætorij factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus: q se in nouitate, atq; enormitate fortunæ non tenuit: ita, ut statim Gordiano, qui eum in locum parentis adscuerat, insidias per milites faceret. Quæ tales fuerunt, Misitheus tantum, quantum diximus, habuerat conditorum, ut uacillare dispositio Romana non posset. Verum artibus Philippi primum naues frumentariæ sunt auersæ. Deinde in ea loca deducti sunt milites, in quibus annona haberi nō posset. Hinc Gordiano infestos milites statim reddidit, non intelligentes artibus Philippi iuuenem esse deceptum. Sed Philippus etiam addidit, ut rumore per milites spargeret, adolescentem

As t milita/  
nea potior,  
& quæ posset  
exercitum.

lescentem esse Gordianū, imperium non posse regere: melius esse illum imperare, qui militem gubernaret, qui Remp. sciret. Corrupti præterea etiā principes, effectūq; ut palam Philippus ad imperiū posceretur. Amici Gordiani primū uehementissime resistebant. Sed cum milites fame uincerentur, imperiū Philippo mādatum est, iussūq; à militibus, ut quasi tutor eius Philippus cum eodē Gordiano pariter imperaret. Suscepto igitur imperio, cum & Philippus se contra Gordianū superbissime ageret, & ille se imperatorem, atq; imperatorū prolem, & uirum nobilissimæ familiæ recognosceret, nec ferre posset improbitatem hominis ignobilis apud duces & milites, astāte præfecto Metio Gordiano affine suo in tribunali processit, sperans posse imperiū Philippo abrogari. Sed hac conuestione nihil egit, cum illum incusasset, quod immemor beneficiorū eius sibi minus gratus existeret. Et cum milites rogasset, cum aperte duces ambisset, factione Philippi minor apud omnes fuit. Deniq; cum se uideret minorem haberi, petijt ut æquale saltem inter eos esset imperium, nec impetrauit. Dehinc petijt, ut loco Cæsaris haberetur, nec id obtinuit. Petijt etiam, ut præfecti loco esset Philippo, quod & ipsum negatum est. Vltimæ preces fuerūt, ut eum Philippus pro duce haberet, & pateretur uiuere. Ad quod quidem penè cōsenferat Philippus ipse tacitus, sed omnia per amicos agens nutibus atq; cōsilijs. Verum cum secum ipse cogitaret amorē populi Romani, & senatus circa Gordianum, & totius Africæ, ac Syriæ, totiusq; orbis Romani, cum & nobilis esset, & nepos, ac filius imperatorū, & bellis grauib; totam Remp. liberasset, posse fieri, ut factione quandoq; militum Gordiano redderetur imperiū: cum recentes in Gordianum iræ militum famis causa uehementes essent, clamantē ante cōspectum duci iussit, ac spoliari, & occidi. Quod cum primum dilatatum esset: post, ut iussit, impletum est. Ita Philippus impie, nō iure obtinuit imperium. Imperauit Gordianus annis sex. Et dum hæc agerentur, Argunthis Scytharū rex finitimorum regna uastabat, maxime quod compererat Mithream perisse, cuius cōsilio Respublica fuerat gubernata. Philippus autem ne à crudelitate nancisci uideretur imperiū, Romā literas misit: quibus scripsit Gordianū morbo perisse, secq; à cunctis militibus electum. Nec defuit, ut senatus de his rebus, quas non nouerat, falleretur. Appellato igitur principe Philippo & Augusto nuncupato, Gordianū adolescentem inter deos retulit. Fuit iuuenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnib; in uita iucundus, in literis nobilis, prorsus ut nihil præter ætatem deesset imperio. Amatus est à populo, & senatu, & militibus ante Philippi factionem, ita ut nemo principum. Cordus dicit omnes milites eum filiū appellasse, ab omni senatu filiū dictum, omnē populum delicias suas Gordianū dixisse. Deniq; Philippus, cum eum interfecisset, neq; imagines eius tolleret, neq; statuas deponeret, neq; nomen abraderet: sed Diuū semper appellans etiā apud ipsos milites, cum quibus factionē fecerat, serio animo, & peregrina calliditate ueneratus est. Domus Gordianorū etiam nunc extat, quā iste Gordianus pulcherrime exornauit. Et uilla eorū uia Prænestina ducentas colūnas uno peristylo habēs, quarū L. Christea, Claudiana L. Sienitides L. Numidica pari mēsurā sunt. In qua

G basilicæ

basilicæ centenariæ tres. Cætera huic operi conuenientia, & thermæ quales præter urbem, ut tunc nusq̃ in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc senatus decreuit, ut à tutelis, atq; legationibus, & à publicis necessitatibus, nisi si uellent posteri eius, semper uacarent. Opera Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam nymphæa, & balneas. Sed balneæ priuatis hominibus fuerunt, & ab eo in usum priuatū exornatæ sunt. Instituerat porticum in campo Martio sub colle pedū mille, ita ut ab altera parte, qua mille pedum porticus fieret, atq; inter eas pariter, & spatium pedum quingentorū, cuius spatij hinc atq; inde uiridaria essent lauro, myrto, & buxo frequentata. Medium uero lithostratū breuibus colūnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille, quod esset deambulatoriū, ita ut in capite basilica esset pedum quingentorū. Cogitauerat præterea cum Misitheo, ut post basilicam thermas æstiuas sui nominis faceret, ita ut hyemales in principio porticū poneret, suo usui essent uel uiridaria, uel porticus. Sed hæc omnia nunc priuatorū & possessionibus, & hortis, & ædificijs occupata sunt. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti xxx & ii. quorum ipse xii miserat, Alexander x. Alces x. Tigres x. Leones mansueti lx. Leopardi mansueti xxx. Belbi id est hyenæ l. gladiatorū fiscalium paria mille. Hippopotamus, & rhinoceros unus. Archoleontes x. Camelopardali x. Onagri xx. Equi feri xl. & cætera huiusmodi animalia innumera, & diuersa: quæ omnia Philippus ludis sæcularibus uel dedit, uel occidit. Has autē omnes feras mansuetas, & præterea efferas parabat ad triumphū Persicum: sed uotum publicū nihil ualuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit sæcularibus ludis, & muneribus, atq; Circensibus, cum millesimum ab urbe condita annum in cōsulatu suo, & filij sui celebrauit, quod de Cæsare memoriæ traditum est. Hoc etiā de Gordiano Cordus euenisse perscribit. Nam omnes quicūq; illum gladio appetiuerūt, qui nouem fuisse dicuntur, postea interempti à Philippis sua manu, suisq; gladijs, & iisdem, quibus illum percusserant, interiisse dicuntur. Trium igitur Gordianorum hæc fuit uita, qui omnes Augusti appellati sunt, duobus in Africa interemptis in Persidis finibus. Tertio Gordiano sepulchrum milites apud Circeiam castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum huiusmodi addentes & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Aegyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur. DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPORVM: quod ideo uidebatur additum, quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prælio uictus abscesserat. Simul etiam quod à Philippis uidebatur occisus. Quem titulum euertisse Licinius dicitur eo tempore, quo est nactus imperiū, cum se uellet uideri à Philippis originem trahere. Quæ omnia Constantine maxime iccirco sum persecutus, ne quid tuæ cognitioni deesset, quod dignum scientia uideretur.

Titulus dii  
uersis lin-  
guis.

Iulij